



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Ad Patientiam D. Ambrosij Admonitio. xxij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

phetas: qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis: quod misericors Dominus est, & miserator.

S. Petrus. Modicum nunc si oportet contristari in variis tribulationibus: ut probatio vestra fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloria & honore, in reuelatione Iesu Christi.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.

Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes.

Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei: fideli creatori commendent animas suas.

Deus omnis gratia, qui vocauit vos in eternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Ad patientiam D. Ambrosij Admonitio.

Vide quomodo te hortatur Dominus, ne amittas quod accepisti. Coheres Christi es: si compatiare, si commoriare, si consepeliare. Cum Christo suscipe passiones eius: ut supra passiones eius cum eodem esse merearis. Breuis huius laboris est meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inestimabilis. Quid, quod labor tibi communis est cum omni creatura, quia propter te mundus ipse seruitutem tolerat corruptionis: quia cum sanctis tibi laboris huius & expectationis commune consortium est? Sed vereris dubios vite anfractus, & aduersarij insidias, cum habeamus auxilium Dei, habeas tantam eius indignationem, ut filio proprio pro te non pepercerit?

I De

CAPVT.

X XII.

Ambrosij de  
S. Iacob, &  
vita beata  
lib. 1. cap. 6.

Rom. 8.